✠

DECRETO,
DE LA SAGRADA
CONGREGACION.


DECRETVM CONGREGATIONIS PARTICVLARIS à Smo. D.N.D. Clemente Papa XI. deputatæ pro tollendis abusibus per eos invectis, qui vbi in carceres conjecti fuerint, ad eludendam iustitiam sese à locis immunibus, adquę confugerant dolosè extractos fuisse frequenter allegare solent, à sanctitate sua approbatum eiusque iusu à Sacra Congregatione immunitati Ecclesiasticæ, & controversijs iurisdictionalibus præposita promulgatum.

Cum ad aures Sanctissimi D. N. D. Clementis Papæ XI. delati fuerint graves abusus in plurimis locis, ac præsertim in Provincijs Italiæ, & Insulis eidem adjacentibus, atque etiam in Regnis Hispaniarum à plerisque eorum, invecti, qui vbi demandato Iudicum capti fuerint, & carceribus mancipati, pro causis Civilibus, vel Criminalibus ad eludendam iustitiam allegare frequenter solent, sese ab Ecclesis alisve locis immunibus, ad quæ confugerant blandis verbis, vel aliàs dolosè extractos fuisse, & ad propriam allegationem comprobandam, non solum in suis depositionibus facilè peierant, sed falsos insuper inducunt testes, adhibitaque consanguineorum, vel amicorum suorum opera, etiam alia non minus damnabilia patrare non erubescunt. Quinimo aliquando ipsimet sunt, qui ad effectum liberè vagandi, & forsam etiam impunè delinquendi, per Barõcellos, & executores, aliosvè similes Iustitiæ Ministros, data opera, Ecclesijs, locisve immunibus prædictis sese extrahi curarunt, spe freti, quòd interim Ecclesiasticæ immunitatis beneficiũ amittere non deberent. Hinc est, quòd Sanctitas sua eiusmodi malis, quibus iustitiæ cursus inhibetur, animarumque salus magnum in discrimen adducitur, pro eximia sua Pastorali solicitudine, ac zelo occurrere intendens, exquisivit à Congregatione particulari nonnullorum Eminentissimorum, & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium, ac Illustrissimorum, & Reverendissimorum Romanæ Curiæ Prælatorum, ad hunc effectum deputati, quomòdo, & qua ratione probideri posset, vt tam graves abusus emedio tollerentur. Habita itaque Congregatione prædicta sub quinta Octobris 1716. Cui interfuerunt DD. Cardinales Tanarus, Spinula S. R. E. C. Camerarius, Vallemanus, Grimaldus, & Origus, ac RR.

PP.

PP. Prosper Marefuschus Episcopus Gyrenensis eiusdem Sanctitatis suę Auditor, Antonius Bancherius Prothonotarius Apostolicus, ac Sacr. Consultæ Secretarius, Carolus Cerrus Rotæ Romanæ Auditor, Scipio de Ricijs præfatæ Congregationis Secretarius, Prosper de Lambertinis Consistorialis Aulæ Advocatus, ac fidei Promotor, & Nicolaus Iacobatius R. C. A. Procurator Fiscalis Generalis, re maturè discussa eadem congregatio censuit.

Consulendum Sanctissimo, quòd omnibus ordinarijs, tàm Italiæ Insularumque illi adjacentium, quàm etiam Hispaniarum, scribantur litteræ, per quas illis iniungatur, vt publico Edicto, notificent, ac moneant omnes, & singulos, qui ad Ecclesias, alia ve loca immunia confugerunt, vel in posterũ confugient, vt quatenus gaudere velint beneficio immunitatis Ecclesiasticæ localis, curent in eisdem Ecclesijs, & locis immunibus permanere, caveantque, ne vllo pretextu, causa, vel quæsito colore, ad eas, vel ea deserenda se se induci sinant. Nam si extra illas, vel illa ab Executoribus iustitiæ capti fuerint, minimè eis proderit allegare, vel etiam probare, quod fallacibus suasionibus, blandis verbis, assecurationibus, dolosis ve machinationibus extracti fuerint; cum animarnm saluti, iustitiæ administrationi, ac publicæ etiam delictorum vindictæ, vbi de criminalibus agitur, expediat, vt de cætero illæ dumtàxat extractiones suffragentur, quæ aut violenter patratæ, aut sub fide salvi conductus ab aliquo iudice Ordinario, seu delegato concessi, ac subscripti secutæ fuerint; qui tamen salvus conductus suffragari poterit pro tempore tantum in eo præscripto, intra quod extracti à loca immunia omninò reverti debebunt, si eorum immunitate iterum gaudere intendant. Proptærea ijdem ordinarij moneant, ac notificent in huiusmodi edicto, quod siquis verè extractionem dolosè, vt suprà commissam ante promulgationem edicti passus fuerit, ac immunitatis localis beneficio gauderi velit Ecclesiasticum confugium repetere, omnino debeat intra mensem, à die promulgationis eiusdem edicti numerandum; petito etiam, quatenus opus sit, ad hunc effectum salvo conducto ab ipsis ordinarijs gratis concedendo, ita tamen, vt eo tempore elapso, si extra locum immunem deprehensus fuerit, per inde habeatur, ac si voluntariè, spontè que sua inde recessisset, nec audiri possit super extractione dolosa, quam de ptæterito se passum fuisse allegaret. Factaque eidem Sanctissimo D. N. per me infrascriptum Secretarium de præmissis omnibus relatione; sanctitas sua particularis Congregationis sententiam benignè probavit, ac de super præsens decretum edi, illudque à Sacra Congregatione immunitati Ecclesiasticæ, & controversijs iurisditionalibus præposita promulgare, & executioni mandari præcepit. Hac die 22. Decembris 1716. S. A. Cardin. Fanarius, Scipio de Riccijs Secretarius.

Es copia del trassumpto de el Decreto de la Sacra Congregacion de Immunidad, que su Magestad (Dios le guarde) remitiò

al Consejo, con su Real resolucion, à consulta de los Señores, de el de diez y nueve de Septiembre de este año, de que certifico. Yo Don Balthasar de San Pedro Azevedo, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno del Consejo. Y para que conste, y se tenga presente en los recursos de fuerça de immunidad local, que se introduxeren en virtud de lo mandado por el Consejo, en Decreto de veinte y dos de Noviembre deste año, lo firmè en Madrid, à siete de Diziembre de mil setecientos y diez y siete años. Don Balthasar de San Pedro Azevedo.

Es Copia del Real Decreto de su Mageſtad (Dios le guarde) el qual queda entre los papeles de la Secretarìa del Real Acuerdo de mi cargo. Granada, y febrero 23 de 1718

D. Juan Garcia Pretel.

al Consejo, con su Real resolucion, á consulta de los Señores, de el de diez y nueve de Septiembre de este año, de que certifico. Yo Don Balthasar de San Pedro Azevedo, Escrivano de Camara del Rey nuestro Señor, y de Govierno del Consejo. Y para que conste, y se tenga presente en los recursos de fuerza de inmunidad local, que se introduxeren en virtud de lo mandado por el Consejo, en Decreto de veinte y dos de Noviembre deste año, lo firmo en Madrid, a siete de Diziembre de mil setecientos y diez y siete años. Don Balthasar de San Pedro Azevedo.

Es Copia del Real Decreto de su Magestad (Dios le guarde) el qual queda entre los papeles de la Secretaria del Real Acuerdo de mi cargo. Granada, y [illegible] 15 [illegible]

D. Juan Garcia Pretel.